ORATIO

DE LITTERARVM PRÆSTANTIA

MARCI ANTONII RIBOTY

LVDI MODERATORIS SEMINARII Pisaurensis.



PISAVRI,

Ex Typhographia Gotti. M. DC. LXX.

DD. ſuperiorum permiſſu.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.

D. ALEXANDRO DIOTALEVIO

PRÆSVLI PISAVRENSI

Amplissimo.

MEA animorum Regina Pitho uno suo opere se tibi sistit (præsuli Illustrissime) per quem si non regnet, se Reginam negaverit. Nec moratur Imperitorum calumniam; si in se habeat innocentiæ suæ apologiam. Mendaciorum vindex non audiet; si eam tu admiseris, qui es vindex veritatis. Huic à teneris ita es assuetus, ut quæ aliis est a studio, in te videatur ex indole: & cujus cognitio in aliis scientia est, in te sit quasi natura. Tam videris errare non posse, quam nolle. Prodis tamen ejus te semper avidum: non quod ipsam non habeas; sed quia habet ipsa semper, quo tibi se probet, quo placeat; ut vel in copia famem acuat. In hoc tu par cælitibus, qui de terris ubi es, cælum innocentia facis, ubi ipsi. In veritatem ipsi adhuc respicere desiderant, quam si non respicerent sine nube, ne cælites essent. Eo, & affectu cælites reddis, quos excribis in moribus. Indulge veniam de te sollicito, qui de te parum sollicitus es. Omnium sensu perveneras ad sapientiæ fastigium; nisi te non pervenisse proderes. In Ariminensi illo cælo, cujus sidus pulcherrimum es, veritatis succo saginatus; Credi poteras eo vim ingenii protulisse: quò ultrà mortalis nec nititur, nisi tu ipse ultrà ires. Non tibi satis est natum esse nobilem, nisi fias: & pulchrius esse ducis nobilitatem promeruisse, quam à majoribus accepisse. Tantam tu quidem lucem non profers, qui cum tot & tanta scias, nesciri tamen amas. Sed ipsa se profert, quæ latere non potest, eòque te vel nolentem extulit, ubi nec possis latere, si velis, nec velle debes si possis. Tuarum stellarum instar (quas in stemmate prefers) candidæ lucis plenus, non in te illam occulis: sed mortalium oculis non tuo, sed publico usui manifestas: tuæque benignitatis influxu beas, quos affare dignaris. Quo verò id præstes studio, quo successu: Sentit Pisaurum, quod summopere gaudet, talem sibi contigisse præsulem, quo nec virtute præstantiorem, nec in subditorum salute vigilantiorem, in coercẽda scelerum licentia fortiorem, nec in legibus condendis cordatiorem, nec in consiliis oculatiorẽ votis expetere potuisset. Sentiunt tuæ ditionis populi, quos indefessus alis, inexaustus imbuis, exemplis animas, diligentia tueris: & ad pelicani genium sanguinis, quem la-

bosibus absumis, suceo excitas. Sentit Roma, quæ de tua eruditione ita sibi gratulatur, ut tui fieri quasi discipula non pudeat, quæ magistra est orbis. Cum ideo tu te fatearis doctorē veritatis; quia discipulus es Romæ: Roma veritatis ex æquo arbitram se magis inde credit, quod te suffragatorem habeat. Ejus notitiam ut & per alios promoveas, me allegisti operariū in tui seminarii pube cum bonis moribus tum literis informanda. Hanc mihi attributam spartam magni æstimo, hanc unā ornabo, & me ipsum exuam, ut quæ sciri, amari, fieri oporteat, doceantur adolescentes; idque non tantum meum ut munus impleam, sed ut tuæ voluntati pareā: nec tantum quia id honestum est, sed quia tibi gratum; si verò quid piam potest esse tibi gratum, quod statim non sit honestum, hæc est illa unica cura, quæ nunc me coquit & versat sub pectore fixa. Hæc est illa Helena, quæ nunc prima meos sibi junxit amores, pro qua vel decennium si pugnem, nō me pigebit operæ. Etenim fixū immotumque sedet animo, nō committere ut & clarissimum Patrē Contri *me ad hanc provinciam cooptasse, & te me in ea collocasse pæniteat. Audeo insuper tibi spondere, non futurum esse infrugiferum ingenioli mei agrum; si illum tuo solito favore colueris. Non enim usque adeo erit stupidus Riboty, ut tuam in se benignitatē non intelligat; nec adeo obliviosus, ut non recordetur; nec adeo incivilis, ut dissimulet; nec adeo ingratus, ut pro virili non conetur reponere. Adnitar omnes ingenii nervos intendere, omnē tentabo venam, si quid facultatis in libera & in stricta oratione diuturno exercitio mihi paravi, exeram; ut te dignum aliquid in apertum proferatur. In hujus luculentum testimonium, hoc tibi qualecumque est opusculum oratorium addico, hoc est stillam mari, radium soli. Dico tibi de literis oratiunculam, quam me in experimentum ingenii procudere voluisti. Mearum nō sim conscius virium, si me operæ pretium fecisse dicam. Multa sunt fateor, quæ fefellerunt imprudentem, multa quæ omisisse, multa quæ addidisse præstiterat. Sed illo me Catulli dicto tuebor. Suus cuique attributus est error; nec, si quantum potuit præstiti, quod quædam non præstiterim, me ideo reprehendendum putabis. tamen hunc qualemcumque fœtum si tua aquila nobilis non objiciet, vita dignū censebo, meque laboris fructum amplissimum consequutum esse credidero. nam id mihi maximè omnium in votis est ut dictis factis, scriptis tibi placeam idque mihi summæ laudi tribuo. juxta illud.*

Principibus placuisse Viris non ultima laus est.

Bene valeat tua Illustriss. celsitudo, quam precor Deum Opt. Max. nobis diu incolumem servet. Datum Pisauri dibus Februarij CIↃ. DC. LXX.

tuę Illustriss: celsitudinis

Addictissimus servus
Marcus Antonius Riboty.

ORA-

ORATIO

de litterarum præſtantia

MARCI ANTONII RIBOTY

Ludi moderatoris ſeminarij Piſaurenſis.

SOcrates philoſophorum ſapientiſſimus recta iudicij trutina libraturus, an aliquis adoleſcens eſſet à natura ad ſtudia coparatus: loquere inquit, ut te videam. nimirum ſagax philoſophus hominem non ſpecioſa corporis forma, ſed oratione vero animi dotium indice cēſendum putavit. Tu pariter præſul omnium, qui hactenus tuis ſacris infulis admoti ſunt, & qui poſt hac erunt admovendi, ornatiſſime, venerabiles canonici, viri nobiliſſimi ſuaviſſimi muſarum alumni, me tui ſeminarij juventuti erudiendæ deſtinatum voluiſti edita oratiuncula manifeſtum meæ, quamvis exiguæ eruditionis ſpeci men expromere. ut me hac ratione qualiſquiſq; ſim inſpicias; & ne bovem quod ajūt, in cerauma videaris adducere. Gravem mehercule ſarcinam meis humeris impoſuiſti, quam ut rectè poſſim ſuſtinere non mediocriter pertimeſco. Siquidē ipſe ſcio in hoc loco ad

 di-

dicendum ornatissimo, nihil nisi perfectum ingenio, elaboratum industria proferri, oportere. Scio nullum argumentum nisi gravitate pręstans, novitate jucundum, vestris politis auribus esse objiciendum. Scio nullam orationem nisi divite sententiarum copia aurei fluminis instar exuberãtem in hoc splendidissimo consessu promendam. Ad hæc autem feliciter sustinenda nostra non aspirat eloquentia. Etenim quãvis olim in ludis litterarijs Galliæ miles Apollineus spectatus nõ sine laude fuerim, & novus Sysiphus humaniorum litterarum atq; Rhethoricæ saxum iterũ atq; iterum versaverim; tamen eloquentiæ vena, si quæ fuit, in aula Romana per biennium propemodũ exaruit. Vnde nihilo magis sum aptus ad personam oratoris implendã, quam gladiator diuturno otio fractus ad rudem tractandam. Quid mihi igitur in hoc bivio erit agẽdum? eloquar; an sileam? an iam primũ vallũ egressus discriminis magnitudine deterritus fugã in tendam? an spe laudis concitatus fortune periculum adibo? Dij tamen meliora, quam ut in tam glorioso curriculo vires despondeam, animumque præstem timore degenerem. Minus infeliciter aggredi solet ardua, qui libenter aggreditur; grauissimamq; sarcinam allevat, qui forti animo perfert. Fræna igitur linguę laxemus, & vocem faucibus interclusam aperiamus; vt

vt autem veſtris animis nectarea ſuavitate inebriādis dignum aliquid objicerem: de litteris orationem habere certum eſt, vtq; huic ferè immēſo dicendi campo limites quoſdam præfiniam. Oſtendam, litteras, homini maximè omnium convenire, eumque ab animantibus rationis expertibus ſejungere. Dignum tua electione argumentum [præſul illuſtriſſime] qui, cum ſis omni litterarum genere ornatiſſimus, voluiſti tuum oratorem de litteris orationem habere, ut in illa tui intuereris imaginē. Id propterea cū litterarū ſtupendam vim audies, tua præconia intelliges. Dignū vobis [venerabiles canonici] qui ità meminiſtis, vos eſſe canonicos, ut alijs canones, tum pietatis, tum litterarum præbeatis. Dignum vobis [viri nobiliſſimi] qui, quam nobilitatem à maiorib⁹ accepiſtis, eādem litteris ornandā putaſtis, dignū hac ciuitate, quæ cū ſit in litteras prona, de litteris agēti favebit. dignū me, ſi quid ego ſum, quē litteras profitentē de litteris verba facere cōvenit. Supereſt [mi mæcenas ſuaviſſime] ut hoc vaſtū pelagus emēſuro adſis mihi benigna cynoſura, quæ meæ lōgę navigationi ubiq; pręæluceas, meque ad portum fæliciter adducas.

Convicium homini docto facere Tertullianus volvit; dum eum animal gloriæ dixit; ſed fecit encomium; quippe nulla in animali poteſt ineſſe glo-

ria,

ria, in quo ratio non fuerit: nec ulla ex vero potest inesse ratio, quam doctrina nō consumaverit. quid ni igitur vir doctus animal gloriæ nuncupetur? cum sine doctrina adeò quis sit sine gloria; ut sine ratione jaceat quasi umbra hominis, non homo. quia sua omnia naturæ debet, nulla doctrinæ. Nec magis eū dicas ex vero homine, quā tabellā, cui ultimā nondum manum pictor adhibuit, sui Archetypi verā effigiē. Homo universi catulus est, nascitur informis, & imperfectus, nec multum à monstro distat, donec eum diutiùs lambendo doctrina demum absolvit. nec imperfectum opus natura negaverit, cui perfectionem debitam ostēsam tantū per transennam deesse voluit ut appeteret, nō dari ad plenum ut possideret. Nam si ei nihil ex naturalibus deest, cur ad ampliora enititur? si perfecit opus natura; cur reliquid appetitum ad scientiam? quò se imperfectum proderet, vel hoc ipso, quo perfici desideraret. Id verò, cujusmodi sit, diducamus si placet, & paulò diligentiùs investigemus. Videbimus non paucos, qui homines audiāt, qui pro hominibus se gerant: sed qui verè sint homines, qui nomen impleāt quam paucissimos? Equidem si consessum istum venerabilem circumspicio, homines sanè, & aliquid suprà video. Video præsulem qui virtute sua micat inter ōnes velut inter ignes

luna

luna minores. Præfulem, quē ego o Deum immortalem! audivi loquentem de rerum natura tanquam supra ipsam, de gratia tanquam ex ipsa, de angelis tanquam ab ipsis, de verbo incarnato tanquam vocē ejus, de Trinitate tanquā comprehendisset, de Deo tanquam vidisset, de cælo tanquam fuisset, de omni disciplinarum genere, quasi unum solum didicisset. Præsulem, qui inter oratores facundissimus, inter philosophos acutissimus, inter Theologos rerum divinarū peritissimus, inter omnes denique maximus. Præsulem, cui virtute parem nec sęcula prisca dederunt, nec ventura dabunt, redeant licet aurea regna; Video canonicos, quos natura ad res maximas comparavit, quos ingenium ad litteras composuit, quos pietas ad spem æternam firmavit, in quorum moribus nihil asperum quod offendat, nihil indecorum, quod dedeceat, nihil inurbanum, quod displiceat. Video nobiles, qui verum plus animo, an ingenio valeant obscurum, Vtroque tamen mirabiliter inclarescunt; memores Pallada non minus armis, quam literis munitam è cerebro Jovis natam; Video alios, quos ego scio doctrinæ manu non vulgari diligentia excultos. Si vero prodeam foras, si lustrē compita, vix unum aut alterum talem inveniam; vel si mihi Diogenis laterna prælu eat. Vnde Aristoteles philosophorum

citrà controversiam, ne Platone quidem exceptò juuta Tullium peritissimus rogatus à quodam stolido, quid discriminis esset inter doctos, & indoctos; quod inter vivos, inquit, & mortuos: Rectissime judicans eos, qui corporis tantũ vita fruuntur, quã habemus cũ asinis, suibus,& ãseribus,communẽ,oculis corporeis solem intuerentur, quem acutius cernunt aquilæ, animis verò quibus lucem, vitamque instillant literæ, omnino cæcutiunt, mortuos esse veriùs quam vivos, nec hominis appellatione dignos. Cædò an eum leonem, verum leonem censeres, qui sub leonina specie mentem humanam tegeret? nequaquam. Apulejus, qui sub asini forma latebat, erat ne asinus? nullo modo. quia incolumimente formam asini circumferebat. Statua figuram hominis per omnia representans, quales ferunt fuisse Dædali, homo dicetur nec ne? neutiquam, quia mente vacat. cur igitur homo habetur? si mens pecudis humanam animet figuram. Cur statuam humanam hominem appellabimus? si figura non facit hominem sed scientia. Hinc est, quod poetæ veteres sapientiæ magistri non otiosis fabulis tradiderunt eos, quibus nulla cura ingenii colendi fuisset, & se pecuinis voluptatibus immersos dedissent, in ferarum naturã abiisse: Contra qui sapiẽtia cęteris pręcelluissent, eos ut à Diis in Deorum

orum consortium à morte reverti: & dęmones, quos illi Deos inferiores existimant, autumant dictos dæmonas, hoc est scientes; quasi scientia eos in Deorum numerum transcribat: sicut è regione imperitia homines in pecudem naturam demittit. Agite verò an ego inter homines censeã? quos bipedes videbo? At sic non esset admodũ ridendus homo Platonicus, & formosa illa sine pluma volucris. An homo audiet, qui conceptus animæ distinctis potest efferre sermonibus? at & suos conceptus belluæ, & suas etiam voces habent. An mihi forsan homo habebitur, qui quid utile sit, quid noxium agnoscens, alterum ità nouit eligere, ut ab altero refugiat? At in hoc supra ipsos homines cautæ belluæ sunt. In iis igitur non potest animalium nobilissimi atque adeo Regis natura poni, in quibus alia animalia vel sequitur, vel non antecedit. Quin da illi præterea quæcunque ad formam & amplitudinem conducere credideris. Fac ut natus sit ab homine, dignitatibus fulgeat, divitiis circumfluat, magno famulitio stipatus incedat, hominibus imperet: si præter hæc èi nihil attribueris. Hominis fortè simulacrum dabis, hominem ipsum non dabis; qui nondnm ex vero compotem rationis probaveris, hoc est, quia nondum in eo doctrinam inesse demonstraveris per quã ratiocinetur sine vitio,

&se in ratiocinando non falli: sciat quod à Dialectica doctrinarũ nobilissima impertiri inter omnes sanæ mentis constat. Quæso, si quem verum pictorem habeas, te rogem? non eum, opinor, respondebis, qui possit aliquando bellè lineam ducere: sed qui, cum in ipso actu pingendi est, optimè delineat, suæque artis omnes implet articulos. Ità nec illum bona fide hominem appellaveris, qui ratiocinandi potentiam habet: sed qui cum expedit, & est in actu ratiocinatur sine vitio. id verò qui potest sine doctrinæ beneficio? Vix est igitur, ut quis sine ipsa suum homo tueatur nomen, se verè rationalem probet. Si enim truncum arboris mercurium non dixeris; licet mercurii formam referat. Cur hominem eum censueris, qui tantùm hominis repræsentat imaginē. Proh quam in arctum cogitur hominum multitudo! quis ego hodie quantusque sum, qui rerum mutatis vicibus, qui fuerunt hactenus homines, homines esse negem; & uno aut altero syllo gismo quasi psongia tot myriadas ex hominum albo dealeam. quàm verò id non temerè faciam; quàm rari sunt ex vero homines; vel ipsi estis judices; qui nō estis inscii. quàm pauci humanam quasi formam sibi curant imprimi doctrinæ sigillo.

Cæteros, qui suis immersi negotiis animum num-

quam

quam à terrenis explicant, eumque sordium fæce involutum, & obrutum esse patiuntur, homines ut dicam, non adducat. Satis eis me tribuere ratus, si hominum servos non negem. Quemadmodū enim Aristoteles in œconomicis, opinor, ait, ligonem, & asinum rustico, & egeno esse pro ministeriis: Sic nō immeritò fortassis ego dixerim, ingentem illam sellulariorum, aratorum, negotiatorum, & similium turbam destinatā esse à Deo, ut sit viris virtute præditis quasi pro ligonibus, & pro asinis. Id, & alibi Aristoteles videtur indicasse; rogatus enim quid ab inculto puer innutritus scholis, & imbutus litteris differret; Quantum inquit à sella differt, qui sedet. quasi illum nobilem erectum ad ardua & ad honesta paratum; istum verò jacetem, mutum, & non magis hominem quam sellam arbitraretur. Nec abs re; quo enim supra muta homo attollitur? quo supra bruta? non corpore, non sensu, sed spiritu, sed anima, quę omni materiæ concretione libera tantæ celeritatis & amplitudinis est; ut uno tēporis puncto fines quosq; terrarum peragret; vastissimos pelagi gurgites pervolet; cælum omne collustret; & ità uni attributa sit corpori; ut Deo similis ubique præsens, ubique diffusa videatur; atque res ita corporeas intelligit; ut in altiorem transcribat ordinē, sordibus terrenis expur-

get, ſpiritales demum, ſibique ſimiles efficiat. Hæc eſt ratio, qua homo ſupra bruta aſſurgit, qua vere homo dignoſcitur. Quis verò poteſt ita eſſe intelligi? niſi quem litteræ ornaverint & abſolverint.

Quid ergo an ſupremo rerum omnium fabro operis perfectiſſimi detrahenda gloria eſt? quod lyceum aliquod aut academiam non inſtituerit, ut in ludi Magiſtrum mutatus ſe faceret litterarum profeſſorē. Ita ſanè hominis auctor non agnoſcitur à me Deus; quod bipedem, quod implumem, quod erectum, & vocalem fecerit: ſed quod litteratum, quod philoſophum; hac una dote factum, ne cæteri operis decus evaneſceret. ò quam triſti id experimento probatum! nam ex quo peccati veluti ſpongia pulcherrimos ingenitæ ſcientiæ characteres abolevit, homo ad jumenta devolutus eſt, ac nequem infauſtæ mutationis prodigium lateret, belluinas ſibi pelles induit. externo nimirum cultu mutatum ſe interius in belluam oſtendens. Iſtuc alluſum procul dubio a Poetis, quos certum eſt placita philoſophię pulcherrima ſub fabularum inuolucris texuiſſe, & verſuū innexuiſſe vinculis, ut redderent auguſtiora. Illi quando Promethеum abſoluti operis Plaſten in ſublimè præter vectum fingunt; & illatum cæleſtibus admota ferula divinum ignem rapuiſſe; ut reverſus ad infima, ſuum eo figmentum

mentum animaret,& ad hominis perfectionem adduceret. quid innuere, & significare volverunt? nempè ab eo non hominem sed hominis simulacrum conditũ; donec informi operi quisi coronidem divinum scientiæ lumen apposuit. Id propterea quidam arbitrati sunt; animam nihil aliud esse, quam scintillam ex igni, aut radiolum ex luce illa divina depromptũ. ita est Deus optimè, nec indignare, siquæ vera puto, ingenua libertate profiteor, ut multũ dederis, quod me in rerum natura productũ, ducenti membrorũ figura & ordine cõfomaveris, & anima immortali e terrenorũ fęce soluta nobilitatum supra jumenta quęque extuleris; parem angelis tibi ipsi non disparem effinxeris. amiseras tamen beneficium, nisi dedisses; undè illa omnia perficerentur;nisi tribuisses, undè compararem scientiam, qua, si quid habeo dignitatis, & cognoscerem, & illustrarem: & tum tuæ in me benignitatis recordarer, quum tuam in hoc totius orbis opere meis vsibus condendo beneficentiam intelligerem, & me hominem vere probarem.

Porro ut, magnũ sit, quod homo humaniores littera didicerit, grammaticę canones perspectos habeat, Rectoricæ flosculis abundet, poetarum fabulas teneat, historias noscat, mathematices apodixes intelligat: Plus tamen est, si philosophiæ rudis non fuerit,

rit, à qua quidquid est bonarum artium mutuatur absolutionem. Alia studia hactenus utilia sunt, si ad illud viam muniant. Vnde apud græcos totam illam artium liberalium suppellectilem circulum puerorum dictam constat; quasi infantium illa essent rudimenta, non virorum ornamenta. quippe ni ità ediscantur, ut ad aliquot annos ingenia studentium distineant, quæ matura facta faciant gradum ad philosophiam: non benè alias doctrinas vocaveris, sed impedimenta ad doctrinam. flores sunt in tantum delectabiles; quia fructũ sunt presagia. admouendæ itaque ingenii quasi naribus ad delectamentum, non immitendæ in stomachum ad nutrimentum. In illis quiescendum aliquandiù, ut in diversorio; non immorandum semper, ut in domicilio. qui secus faciunt post habito philosophiæ fructu inter politiorum litterarum flosculos consenescunt. Illi hercle ex rudimentis opus faciũt, ex crepundiis ornamenta virilia: Illi operosè conando nihil promovent; nec umquam assequuntur summam; quia hærent semper in mediis; nec ediscunt necessaria; quia toti sunt in supervacuis; nec ad veram sapientiam perveniunt; quia credũt se pervenisse; cũ in eius umbram aut imaginem inciderunt. Illi paleas frugibus, flores fructibus, conchillas gemmis anteponunt, & non accitis à philosophia rebus, quibus

bus fiant homines, consenescunt in infantia. Quàm iure hæc ad nonnullos qui philosophiæ nomine fucū credulis faciunt; torquere possem. Quā multi enim sunt, qui nobilem philosophiæ titulum indigna vsurpatione commaculant. quam multi inquam sunt qui ubique philosophiam crepant; & Eam primoribus [quod ajunt] labris non degustarunt; qui doctoris nomen magna mercede sunt mercati, & nullam doctrinam didicerunt, qui principatum doctrinæ tenere se putant; cū magistri nostri appellantur; & sunt sues bæotici, qui leoninam pellem induunt; & sunt asini ad lyram, qui poste quam ceruicosa arrogantia, & superbo supercilio falsissimā doctrinæ consummatæ persuasionem sibi induxerunt, se tanquam Aristoteles, & Platonas ostentat; & eos citiùs gnatones; & philoxenos turpissimos gulones existimes, qui disciplinas omnes culinarii sermonis sordibus, tanquā emuncto mucco fœdant; qui ætatem senum habent, & vitia retinent puerorum. inquibus non tantum est pueritia; sed quod turpius puerilitas; qui ab infantibus non alio differunt, quàm vel granditate corporis, vel annorum numero; vel barbæ silua, vel crinium canitie, aut alio simili? quò non magis homines æstimes, & metiaris, quàm equos à phaleris. & quos vagos incertæ sedis, omnium terrarum hospites, nullius aco-

las, pueros demum vocaveris, quos nondum in viros philosophia ex vero transcripsit.

Humanioribus igitur disciplinis tunc excolendus est animus, quando nihil potest facere nulius. sedulo in iis tamdiù desudandum; quamdiù animus ad altiores disciplinas aptus non est. Enitendum deinceps strenuè ad philosophiam non argutulam illam, rixosam, ostentatitiā, & venalem; sed solidā, sed modestam, quæ animum bono succo impleat, non inani vento tumefaceat; quæ hominem faciat; & probet. Aliter qui fecerit & Deum meliori sui operis fructu, & se meliori animi sui cultura fraudabit. Cur enim à Deo conditus orbis? quem magnum hominem dixere veteres. cur factus homo? quem parvum orbem vocavere, nisi ut esset, unde ipsius cognosceretur potentia; nisi ut esset, qui cōtēplaretur & cognosceret.

Vt suæ potestatis non illustrius daret argumentum potuit rerum sator, & hominum arbiter Deus, quàm orbem: ità ipsius spectatorem non alterum magis voluit, quàm hominem. Eum ob id præcipuè in orbem induxit; ne ipsius opera essent sine teste, sine inspectore, sine laudatore. Id verò quid est? nisi ut imbueretur ità sapientia; ut rerum conditarum indolem, vim, efficaciam; & alia quævis scrutari accuratè posset, & maturè intelligere. Hæc puto, Seneca,

Epithetus; & alii ex sapientium choro præcipui ex scripturarū divinarū sacrario deprōpserant. habemus enim in illis conditum hominem, & positū in Paradiso; ut operaretur. quid verò operis exigebat tum Deus à crudo recentique tum homine? An ut glebas versaret, putaret arbores; ablaquearet vites, pascus curaret, & id genus alia? quibus etiamnum destinatos, imo damnatos ex ima fæce quosque cognoscimus. Absit; ut eum tum pœnis credamus addictum fuisse: quandò eum iracundiæ divinæ obnoxium culpa nondum fecerat. major tum erant, & genitus ad majora; quam ut excelsam indolem ad illa sordida, & humilia demitteret; nec opus erat; nisi si supervacaneis eum Deus incumbere voluisset. Tum tantū indiguit terra coli quando desiit à refractario Deus coli. quia tum tantum terra fructus ingrato negavit: quando quos Deus ipse fructus inseruerat impio ausu homo arripuit. ante verò ad quid cultura? quando sine cultura sine cura omnis ferebat omnia tellus.

Non rastros poscebat humus, nō vinea falcem,
Roscida mella dabant quercus vtroq; ferebant
Ob via securis ubera lactis oves

Ætas demum verè aurea, quæ inocentibus delitiis beabat animos curarum securos. nego igitur ad colēdam terram positum in Paradiso à Deo hominem

in ipſius naſcentis orbis exordio; nego aliud ab eo exactum opus; quam quod ab eo quà homo eſt, proficiſcitur. Nimirum ut cogitaret, meditaretur locū illum amęniſſimum, & ex eo orbem, cælum, rerum naturam, & auctorem intelligeret. Id verò qui poterat? niſi ſcientia ipſi non deguſtata ſolum, ſed ingurgitata fuiſſet. Ad hoc oportuit, eum eſſe logicū; ut in ratiocinãdo ſe non errare cognoſceret. oportuit eſſe in ſingulis phyſicæ partib⁹ eruditum; ut rerum naturalium principiis, cauſis, & accidentibus intellectis; quæ de cælis veſtigari ratione poſſunt, quæ de elementorum indole, ſitu, & motu vario circumferuntur, quę de alternis rerum vicibus, generatione, & interitu, ſingulis in elementis, ſive res illæ ſenſu careant, ſive ſpiritu vegetentur, ſive ratione polleant, ſciri poſſunt ac debent ab erudito, rimaretur obſeruaret, intelligeret, quaſi non ob aliud à Deo eſſet conditus orbis; niſi ut eſſet homini pro domicilio, quod incoleret, pro ſpectaculo quod intueretur, pro argumento, quod explicaret; pro libro non in quo philoſophiam ediſceret; ſed in quo philoſophū ſe à Deo factum, & ob id rationalem, atque adeo hominem probaret.

Quanquam ad hoc non tantum in phyſicis, ſeù naturalibus, ſed & in ethicis ſeù moralibus imbutum

eum

eum esse oportet; ut non tantū imbuatur,& exerceatur ingenium; sed à turpibus vita abducatur; & componatur ad optima. cujus enim fructus esset, curiosa illa sagacitas, quæ pervaderet obscura si manifesta in homine vitia non emendaret? essent illi centauris similes una sui parte, hoc est ingenio homines,altera, hoc est vitæ turpitudine pecudes,quid enim in eo hominis? quid non feræ? quem obturbat iracundia, odiū stimulat, amor cæcat, timor exanimat, affectus quilibet indomito furore efrænem velut equum ad belluina, quæque rapiunt, ac præcipitant. an ille tibi rationalis videbitur? in quo nulla fermè rationis vestigia mores effræuati relinquunt. an is homo censendus est, in quo nihil rarius observatur, quàm humanitas. Sit ergo philosophus non inspectricibus tantum doctrinæ partibus imbutus, sed & effectricibus. speculetur curiosa, sed honesta quoque faciat. Ingenium diligenter excolat; sed non segniter vitam emendet. Sit ei scientia non ignorantiæ tantùm remedium, sed magis vitiorum; ut non tantum dicere, sed operari, non tantum disputare, sed vivere noscat. ex Pithagorico illo symbolo philosophetur cælum intuens; atque ità abdita rerum perscrutetur; ut oculos, ut animum ad finem, qui cælum qui Deus est, intentos semper habeat. Philoso-

losophus demũ ex vero fit per vitæ modestiã,& sãctimoniã: nõ philologus per rixosã disputãdi prũgimẽ; aut philodoxus p inanẽ eruditionis ostẽtationẽ. hæc est sapiẽtia, qua nõ tantũ imbuendus est animus; sed inebriandus. hæc est sapiẽtia, quæ nõ degustãda solũ, sed plenis faucibus hauriẽda. hæc est sapientia,quã si habeamus; habebimur nõ de trivio, sed de nobili sapiẽtiũ choro viri. hęc est sapiẽtia,quę id nobis pręstat; ne trepidemus in dubiis, vacillemus in lubricis, caligemus in obscuris, deficiamus in arduis. Adsis ergo divina sapientia nostros in animos illapsa, vel illis te totã tribue,vel illos tibi totos assere. tu totius perfectionis sũma infũdis largiter; unde pręsul fiat vigilãtior, princeps potẽtior, juriscõsultus sapiẽtior, bellator animosior, pius religiosior, judex æquior, & cuiscũq; fortunę homo suo in gradu perfectior. tu sol mẽtis, cordis oculus, thesaurus animi nobilitatis humanę cõplementũ. divinę in homines liberalitatis testimoniũ, e superis demũ immissũ pharmacũ, quo e terrenis cęlestes, ex brutis homines, pares angelis, Deo nõ dispares efficimur. tu Deus optimè illã instilla mihi doctrinã p quã mecũ illustretur, & impleatur ingeniũ, quò digna sparẽ quã sustineo, digna discipulis, quos erudio, digna tanto præsule, quem religiosè colo, meditari, & efferre valeam.

F I N I S